

Exaltatur in cruce, ut pareat omnibus. Ipse est enim deus iudicii: & beati sunt omnes qui expectant dominum expectantem conversionem suam. Quorum sit autem, & quæ ista conuersio, sequentia uerba monstrabunt. a ¶ Populus enim Sion habita. &c.) Iudei

hæc ad Cyni tempora referunt, quando de Babylone in Iudæam reuersus est populus sub Zorobabel & Iesu p[ro]ph[et]a. Nos autem, ut sæpe iam diximus: omnes repromissiones quæ excedunt medietatem illius temporis, ad Christi referamus aduentum, in quo captiuis quondam populus passio ne domini liberatus, habitauit in Sion, & Hierusalem: in specula uidelicet & in uisione pacis, hoc est in ecclesia. Porro quod in lxx. uerbum additur sanctitatis, qui dixerunt: populus enim sanctus in Sio habitabit, sic interpretari possumus, ut dicamus nullum habitare in Sion, nisi eum qui sanctus sit, & audiatur dicentem dominum: Sancti estote, quoniam ego sanctus sum.

Luc. 20. b
F
b ¶ Plorabis nequaquam plorabis &c.) Cum reuersus fueris in Sion, & habitaueris in Hierusalem, ne quaquam plorabis ut ante ploraueras, sed fletus tuus uertetur in gaudium: Beati enim fientes, quia ipsi ridebunt. Et postquam clamaueris & dixeris ad dominum: Clamaui in toto corde meo, exaudi me domine: Clamaui, miserere mei, & custodiam mandata tua. Et alibi: Expectaui in matutino & clamaui: & tam clara fuerit uox tua, ut celos penetret: statim tibi dominus respondit: & similis eris Moysi, de quo scriptum est: Loquebatur Moyses, & dominus respondebat ei. c ¶ Et dabit uobis dominus panem arctum, & aquam, &c.) Si ad Zorobabel hæc referimus tempora, facilis interpretatio est, quod non fuerit sub eo perfecta letitia, dicente Dauid: Cum conuerterit dominus captiuitatem Sion, facti sumus sicut consolati: ut non consolatione plenam atque perfectam, sed similitudinem consolationis acciperent. Sinautem ad saluatoris aduentum, panis arctus & aqua breuis, iuxta apostolum Paulum, & hunc eundem Esaiam prophetam, euangelicus sermo prædicatur, qui pro laciniolis legis obseruationibus atque mandatis, in uno uerbo recapitulauit omnia: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Consummatum enim & abbreviatum sermonem fecit dominus super terram. d ¶ Et non faciet auolare &c.) Multum in hoc loco lxx. editio, Hebraicamque discor-

Luc. 6. d
Psal. 118
Ibidem
Exod. 19. d
Psal. 125. a
Gal. 5. c
Sup. 10. f
Rom. 9. f

a expectant eum. a Populus enim Sion habitabit in Hierusalem. b Plorabis nequaquam plorabis: miserans miserabitur tui: Ad uocem clamoris tui, statim ut audierit respondit tibi. c Et dabit uobis dominus panem arctum, & aquam breuem. d HEB. Et non faciet auolare a te ultra doctorem tuum: & erunt oculi tui uidentes præceptorem tuum: & aures tuæ audient uerbum post tergum monentis: Hæc uia, ambulate in ea, neque ad dexteram, neque ad sinistram. e Et contaminabis sculpitulum argenti tui: & uestimentum conflatilis auri tui: & disperges ea sicut immunditiam mestruatæ: egredere dices ei. f Et dabitur pluuia femini tuo, & panis frugum terræ tuæ erit abundans & pinguis. Et pascentur iumenta tua in

dant. Primum ergo de uulgata editione tractabimus: & postea sequemur ordinem ueritatis. Cum intellexerint atque perspexerint cordis oculi ueritatem, & eos qui se prius decepterant, tota mentis ratione cognouerint, & auribus eruditus post tergum decipientium uerba perspexerint: semper enim eam corporis partem decipere festinant: iuxta illud quod in psalmo legimus: Ut sagittæ in obscuro rectorum corde, qui tantam sibi assument auctoritatem, ut seu dextera doceant, seu sinistra, id est, siue bona, siue mala nolint discipulos ratione discutere, sed se precussores sequi: Tunc hi qui prius decipiebant, nequaquam ultra ad eos ualebant accedere postquam se senserint intellectos. Porro iuxta Hebraicum, & facilius & uera explanatio est. Cum enim dominus credentibus dederit panem arctum, & aquam breuem, nequaquam ultra faciet auolare ab eis illum qui docet hominem scientiam: sed semper uidebunt oculi eius præceptorem suum, & aures illius uerbum post tergum monentis exaudient, atque dicentis: Hæc uia recta est, ambulate in ea, neque ad dexteram, neque ad sinistram: secundum illud quod alibi legitur: Nec ad dexteram, nec ad sinistram declinabimus: uia regia gradiemur. In utraque enim parte quicquid supra modum est, in uitio est. Et de dextris partibus dicitur: Ne sis iustus multum. De sinistris autem quod in hebdorum, & in percipientium parte ponantur, nulla dubitatio est.

SEP. Et nequaquam ultra appropinquabunt tibi qui decipiant te: quia oculi tui uidebunt eos qui te seduxerunt: & aures tuæ audient uerba post te decipientium, qui dixerunt: Hæc uia, ambulemus in ea, siue ad dextram, siue ad sinistram. Et contaminabis idola de argentata & deaurata: comminues ea, & disperges sicut aquam menstruatæ: & sicut sterces abicies ea. Tunc erit pluuia femini tuæ: & panis frugum terræ tuæ erit abundans & pinguis. Et pascentur iumenta tua in

c ¶ Et contaminabis &c.) Cum intellexeris ueritatem, & decipientes ad te non accesserint, sed oculi tui uiderint præceptorem tuum, & aures tuæ semper audierint: Hæc uia, ambulate in ea, neque ad dextram, neque ad sinistram. Tunc omnes errores & idola, ac similitudines ueritatis, quæ artifex lingua composuerat, in splendore eloquentiæ, quod interpretatur argentum: & in ratione sapientiæ, quod aurum sonat, comminues atque disperges: & ita uidebis immundas, ut menstruatæ mulieris sordidissimo sanguini comparerent, quod uerbis aliis aquam menstruatæ lxx. translulerunt. f ¶ Et dabitur pluuia femini tuo, &c.) Scriptum est in Regum uolumine, quod postquam interfecti sunt ab Elia pseudo propheta, data sit pluuia terræ Israel, & quod panis Helisai, & postea saluatoris, uberrimus fuerit atque pinguis: & tantam habuerit plenitudinem, ut multi hominum milliæ ex eo saturata

Psal. 10. a

H

Nu. 20. 1

Eccles. 1

3. Reg. 18

4. Reg. 3

Ioan. 6